

nus : quæque ad eam diem in nobilitatem aditum nunquam habuerat , Vincentio Valerio tormentorum cura tradita . Proficiscentibus autem ab urbe legatis , quæstor est exercitui Paulus Nanus declaratus .

Quoniam vero magistratus regii edictum Mediolani proposuerant , ut cum ejus urbis cives , tum vero etiam Ligures , aut omnino Galli , qui in ditione reipublicæ eo temporis moram traherent , viginti dierum spatium domum reverterentur , id qui non fecisset , mors ei pœna esset , ejusque bona publicarentur : qua ex re fiebat , ut perplurimi , qui vel mercaturam faciebant , vel plebejas artes exercebant , domiciliaque in urbe habebant , emigrare cogentur : legem contra Patres jusserunt , qui ea de causa urbem reliquisset , qui ve illum navicula evexisset , aut comes itineris fuisset , ejus bona fisco inferrentur , aliquandoque captus annum in carcere teterrimo conficeret . ea pœna proposita , omnes , quibus quidem aut insulæ , aut fundi , aut omnino res aliqua familiaris esset , emigrare veriti restiterunt . Iis rebus bellicisque apparatibus , & Maximiliani cum Aloisio rege nova ex fœdere conjunctione , Germani mercatores , qui in urbe erant , permoti , concilio coacto a Patribus petierunt , uti se tutos , si quid reipublicæ ab suo rege accidat , velint esse . quod quidem illis Patres libentissimi concesserunt : amplissimaque iis facultas est omnia , uti consueverant , in tota reipublicæ ditione liberrime agendi tradita . Comitibus deinde majoribus præfectus est classis Angelus Trivisanus declaratus , jussusque a Senatu quamprimum conscendere : nam præter eas naves , quæ a Gallorum rege armabantur , Ferdinandum quoque regem parare classem , quam in Siciliam & Tarentum mitteret , reipublicæ apud illum legatus ad Senatum scripserat . tametsi ejus legatus Patribus fidem faceret , Africanarum rerum causa eas opes comparari : nihil omnino esse , quod eo ab rege sibi verendum existimarent , qui esset reipublicæ amantissimus . Ea res , & quod Julius exercitum & ipse in Flaminia ex Hetruria & Umbria & Piceno cogeat ; & Galli magna manu Al-